quis fortuitam causam, naturalemq; amplecti ac in portentum transferre uelit. Porrò unde fiat, non adeò planè perspicuum. Sed uidentur omnia ex uaporis crassitie procedere: propterea neque semper apparent. Vt enim cera formatur, aqua non formatur, ita contingit de uapore crasso aut liquido. Formatur autem à uentis, ut etiam in illis, uelut in floribus ac papilionibus, ex uno multa prodeunt. Et ex generalibus causis singularia, quemadmodum in ultimo libro de Subtilitate dictum est.

Nix uaria figura cadēs.

Contingunt & ibidem grandines immensæ magnitudinis, capite hominis quandoq; non minores. Quod ex uaporum rursus tenaci crassitie prouenit. Atq; ut rarius grandines, & à difficiliori causa in illis regionibus quàm in Italia, uelut etiam hyeme quàm æstate proueniunt: ita maiora mala portendere creduntur quàm apud nos. Existimat autem illas significare cædem ac stragem.

OSTENTA QVÆ IN AQVIS.
CAPVT LXXI.

Procellarū præsagia.

INTER ostenta aquarū referri potest quod me præsente accidit in Patauino agro anno M.D.XXXI, nocte, quæ sexta decimam diem Decembris subsecuta est: & Mediolani anno M.D.XXXIII. die undecima mēsis eiusdē: nā tā immensa grādo, tā crebra fulgura atq; tonitrua sæuierūt, ut homines quasi amētes tum metu, tum superstitione discurrerent. Maius tamē fuit prodigium Paduæ, quàm Mediolani. Hæc autem bellorū metus ac nouorum uectigalium damna portendunt: si nullum aliud terribilius signum adiungatur. Non enim talia præter naturam sunt, sed solùm extra temporis conditionem.

Inunda-

Inundationes maris ac fluminũ eadem ratione scilicet, cũm præter naturam quasi fuerint, populorum & gentium hostilium aduentum prænuntiant: aquæ enim multæ, multi populi. Et si agros obruant, deprædabuntur finitima, & agros ipsos, si mœnia sternant, dirum est. Multitudo quoque aquarum generaliter morbos portendit, ut etiam medici affirmant. Fluuiorum & fontium salubriorum exortus nouus, gratiam & gentem meliorẽ ac mores futuros prænuntiat: quod accidisse Augusti tempore alibi testati sumus, cũ in Ciceronis laudem traheretur, longam enim quæ postmodum subsecuta est pacem præmonstrauit. At è diuerso aquas perniciosas & fœdas nasci, tyrannidem declarat: arescere uerò fontes & amnes præter solitum, inopiam & diram necessitatem minatur. Inundationes quid significẽt.

OSTENTA TERRÆ.

CAPVT LXXII.

VIDIMVS anno M.D.X. cum cecidissent è cœlo lapides circiter M. C C. in agrum fluuio Abduæ cõterminum, ex his unum C X X pondo, alium sexaginta delati fuerunt ad regis Gallorum satrapas pro miraculo, plurimi: colos ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus: præcesserat in cœlo ignis ingens hora tertia: decidentium lapidum strepitus hora quinta exauditus. Vt mirum sit horis duabus tantam molem in aëre sustineri potuisse. Intra uigiti menses pulsi Galli. Triennio pòst reuersi, uaria prius fortuna, inde iterum pulsi, ad excidium profligati. Vrbs nostra in cuius finibus ceciderant lapides, uectigalibus, incendio, fame, obsidione, peste nunquam aliàs uexata grauius. Lapides è cœlo.